

## QUÆSTIO XXI.

Qualem auctoritatem obtineant libri Feudorum?

<sup>146</sup> **I**n eis. hoc tract. cap. 1. num. 182. illis auctoritatem decisivam adstruximus: quia, licet ab hominibus privatis, Consulibus Mediolanensibus, partim ex constitutionibus Imperatorum Conradi II. Henrici III. Lotharii III. Friderici I. partim ex rerum in Lombardia judicatarum præjudiciis prudentumque responsis primitus collecti noscantur: nihilominus eodem quasi tempore, quod Jus Civile ex Academiis Italix in Scholas & foro Germanix tacito usu & praxi subintravit, Jus Feudale Longobardicum, in duobus libris Feudorum, qui extant in Corpore Juris Civilis ad finem, contentum, eadem ratione in Germanix Academiis & judiciis explicari, & recipi cœpit.

<sup>147</sup> Struv. in *Hist. Jur.* cap. 8. §. 28. Et quamvis juxta hunc Auctorem §. 29. alicubi vigeat Jus aliud Feudale, in specie apud Saxones das Sächsische Lehen-Recht, & apud Alemannos das Schwäbische Lehen-Recht: attamen, sicut in *quæst.* 19. à num. 133. & seqq. de Jure seu Speculo Saxonico, multoque magis de Suevico seu Alemannico animadvertimus, utriusque vim & valorem valde dubium esse: pariter de isthoc Jure Feudali adnotare debemus, illius decisivam virtutem planè imbecillum, & ubi in singulis casibus singularis praxis demonstrari nequit, illegalem censerì; <sup>148</sup> veluti Inclyta nostra Facultas Juridica, defu-

per requisita, anno 1717. die 31. Martii respondit, ac decidit, saltem in Partibus Rheni, Sueviæ, Franconiæ seu Vicariatu Palatino de nullo alio Feudali Jure, quàm Longobardico, à tempore immemoriali per continuum usum & praxim recepto, constare; Jusque Feudale, quod vocatur Alemannicum, à Schiltero, Meischnero, vel alio privato Doctore concinnatum, vim decisivam non habere; & si aliquando fuerit usitatum, post introductum Jus Feudale Longobardicum, exolevisse. Itaque etiam responderunt Facultates Juridicæ aliarum Universitatum, Altorfensis, Coloniensis, Dilingana, Duisburgensis, Erfordensis, Friburgensis, Hallensis, Ingolstadtensis &c. quarum & aliarum responsa per extensum exhibet Clariss. D. Stephanus Christophorus Harpprecht de *Spec. Suevici & præsertim Juris Feudal. Alemann. non-usu mod. part. 2. à pag. 49. Quin & plurimi S. R. I. Electores, Principes, & Status, ab eodem Clariss. J. Cro. pag. 1. & seqq. recensiti, ad præviam consultationem uniformiter pronuntiârunt, suis in provinciis, territoriis, & Dicasteriis, illud Jus Feudale tantum agnosci, & recipi, quod continetur in Corpore Juris Civilis; nisi in quibusdam casibus per specialia statuta eidem certò derogatum fuisse dignoscatur.*

## CAPUT II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis, seu de Justitia.

## SUMMARI A.

1. Afferitur regula 27. *Jur. in 6.* 2. Datur ratio. 3. Subjicitur exceptio. 4. Allegantur exempla. 5. & seqq. Radices seu causa restitutionis juxta Theologos & Juristas indicantur. 8. Ex culpa Theologica oritur obligatio resti-

tuendi in conscientia. 9. Non item ex culpa Juridica extra contractus. 10. & seqq. Imò secundùm Theologos etiam in contractibus. 13. & 14. Nostra reflexio, cum distinctione inter praxim & theoriam.

## QUÆSTIO I.

An volenti &amp; consentienti fiat injuria seu injustitia?

<sup>1</sup> Ita quidem dicendum apparet ex *Juris regula 27. in 6.* ibi: *sciens & consentienti non fit injuria neque dolus*; cui non dissonat altera in *ff. numero 145.* ibi: *nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.*

<sup>2</sup> Ratio est: quia, ubi nulla concurrat juris violatio, nulla committitur injuria, utpote quæ dicitur ab eo, quod non jure fit, aut quò jus alterius læditur: at, si quis sciat & consentiat, aliquid dici aut fieri, quod alioquin in illius damnum aut præjudicium redundaret, nullam patitur juris sibi competentis violationem: cum jus suum pro illa cir-

cumstantia remisisse, aut dissimulasse censeatur.

Supponendum tamen, eum, qui scit & consentit, habere plenam facultatem, de jure suo disponendi: qui enim non potest liberè de suo jure disponere, nequit etiam illud efficaciter & cum effectu cedere; & sic, cum violatio juris occurrat, injuria abesse non potest.

Quamobrem, si Clericus in sui percussione aut condemnationem, à potestate seculari faciendam; vel maritus in adulterium, à tertio quodam cum sua uxore perpetrandum; vel pupillus in contrectationem rei

Ex quibus causis oriatur obligatio restitutionis? 13

rei suæ, à fure ablatæ vel auferendæ, consentiant, nihilominus injuria locum habet: quia enumeratæ personæ liberâ facultate

de jure, quod in allatis casibus læditur, disponenti carent. Itapassim Theologi & Jurisperiti.

## QUÆSTIO II.

Ex quibus causis oriatur obligatio restitutionis?

<sup>5</sup> Dixi in hoc cap. 2. num. 89. & seq. à Theologis poni tres restitutionis causas, seu, ut illi vocant, radices, nempe injustam acceptionem, rem acceptam, & contractum; quamquàm alii, omisso contractu, tantum priores duos recenseant. Addidi in

<sup>6</sup> num. 91. à Jurisperitis obligationem restitutionis fundari vel in læsione juris realis, vel juris personalis; & quoad hoc aut propter contractum vel quasi-aut propter delictum vel <sup>7</sup> quasi. An verò hæc obligatio semper stringat in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam? Magnum inter utriusque Facultatis Doctores certamen est. Ego, ut breviter me expediam,

<sup>8</sup> Adverto I. Obligationem restitutionis stringere in foro conscientix & ante omnem sententiam, quando alterius jus culpâ verè Theologicâ læsum est. In hoc enim omnes conveniunt, Jure Naturali & Divino præceptum esse, ne quis alterum quomodolibet damnificet, & quando per reatum conscientix damnum intulit, illud motu proprio, antequàm à Judice urgeatur, redintegret: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, aut resarciatur, quod injustè diminutum, destructum, vel deterius factum est.

<sup>9</sup> Adverto II. In eo Theologos haud convenire, an extra materiam contractus culpa Theologica debeat esse gravis; an levis sufficiat? Plurimos nihilominus obligationem, saltem gravem, restituendi non agnoscere, nisi culpa Theologica gravis intervenerit: ut enim proportio sit inter culpam & obligationem restituendi, inde resultantem, obligatio gravis prærequirit culpam gravem. Ita ex nostris Magnif. P. Pettschacher de *Restit.* pag. 165. Clarissimi DD. P. Paulus Mezzger *Theol. Scholast.* tom. 3. tr. 12. disp. 32. art. 2. n. 2. P. Ludovic. Babenstuber in *Ethica supernatural.* tr. 7. disp. 4. art. 3. §. 2. n. 10. P. Alanus Pfeiffer in *tract. de Restit.* p. 1. disp. 2. art. 2. §. 1.

Adverto III. Multos etiam ex Theologis existimare, ne quidem in materia contractus ex sola culpa juridica subnasci obligationem restitutionis, nisi interveniat culpa gravis Theologica, nominatim citatos P. Babenstuber §. 4. num. 33. & seq. & P. Pfeiffer art. 5. §. 2. aliosque, ab his citatos. Rationem dant: quia obligatio hujusmodi non oritur ex Jure Naturali, utpote ex ejus positivo dictamine determinatio & præscriptio culpæ juridicæ non emanavit; neque ex Jure posi-

<sup>10</sup> tivo, cujus Leges, etiam ex culpa levi aut levissima damni resarcitionem præcipientes, sunt quasi-pœnales, aut saltem non aliter, quàm natura Legum pœnalem secumfert, receptæ, & sic ante Judicis sententiam non obligant; neque ex intentione contrahen-

<sup>11</sup> tium, quibus & ipsi Reipublicæ satis prospectum est, quòd, si privatim ad satisfactionem præstandam admoniti sponte satisfacere recusaverint, Judex adiri, atque ab eo ad satisfactionem inviti possint compelli. Quam <sup>12</sup> sententiam equidem non improbo, nec pro praxi dissuadeo; attamen, an nostris principis verè cohæreat, plurimum ambigo: Leges siquidem positivæ, quæ pœnam non irrogant, sed unicè reparationem damni damnificantibus imponunt, non sunt pœnales; & si præter resarcitionem damni aliquid aliud præstandum velint, id peculiariter per modum pœnæ adjiciunt, ac pœnales mixtæ appellantur; sicque obligationem restituendi ante sententiam Judicis imponunt. Ac-

<sup>13</sup> cedit, quòd contrahentibus, & in contractu læsis, nequiquam sufficiat facultas adeundi Judicem: nam plerique lites & judicia abhorrent, aut quia probatio à potiori est difficilis, præsertim quoad culpas juridicas; aut quia ob incertum lites eventum certas expensas facere non imprudenter detrectant. Idcirco, nisi statuatur obligatio conscientix, sat ipsis non est prospectum.

## CAPUT III.

De Interpretatione &amp; Regulis Jurisprudentiæ.

## SUMMARI A.

1. Statuta ex Jure Communi sunt interpretanda. 2. & seq. Quidquid alii dicant. 4. & seq. Itaque faciendâ interpretatio, ut Jus Commune quàm minimè ladatur. 6. & seq. Disselli-

sur objectio. 8. An statutum, prohibens alienationem certò modò, comprehendat etiam oppignorationem? 9. Refertur opinio negativa. 10. & seqq. Refertur & probatur opinio affirmativa.



## QUÆSTIO I.

An eodem modo interpretari oporteat statuta, sicuti Leges communes solemus interpretari?

**C**um statuta vim Legis obtineant, utpote ab iis condita, quibus potestas legislativa suffragatur; nullum apud me dubium videtur, quin etiam eodem modo suam interpretationem recipiant, sicuti Leges Communes, juxta quas illas interpretari oportet, per cap. cum dilectus 8. §. quia nobis de Consuetud. & ibi Panormitan. num. 2. l. si servi 2. Cod. de Noxal. Action. Gail. lib. 2. obs. 33. num. 3. Mevius p. 7. decis. 255. num. 1. & 3.

Et quamvis nonnulli, quos allegat Clariss. D. Franciscus Josephus Michaël Einhorn, olim meus in Jure Canonico Auditor & Defensor, postea in Universitate Friburgensi insignis Jurium Professor, observat. pract. 1. part. 3. n. 47.

Jus Romanum ad interpretationem statutorum in Germania tam parum conferre, quam libros metaphysicos Aristotelis ad interpretationem S. Scripturæ; attamen egregiè à laudatò Clariss. Doctore (qui sanè pro incremento rei literariæ longiorem vitam promeruisse) perstringuntur: ex quo enim tempore Jus Romanum in Academiis & Dicasteria Germaniæ propagatum est, verosimillimum apparet, Germaniæ statuta tum in docendo, tum in consulendo, tum in judicando suam normam accepisse à Jure Romano; neque aliam in eorum declaratione methodum fuisse observatam, ac quæ in Juris Romani declaratione observari consuevit.

## QUÆSTIO II.

Quò sensum verum sit, statutorum interpretationem ita faciendam, ut quàm minimè à Jure Communi recedat?

**Q**uando statutum in quacunque materia conditur, illius interpretatio ita est facienda, ut quàm minimè à Jure Communi recedat: nec enim præsumendum est, quòd inferior aliquis Legislator velit à Juris Communis tramite declinare, nisi hoc evidenter exprimat. Gail. d. obs. 33. num. 4. D. Einhorn cit. l. p. 2. num. 33.

Hinc, si alicubi statutum extaret, victum victori ad expensas refundendas obligari, illud solummodo de casu, quò victus sine probabili causa judicium subiit, intelligendum foret: cum enim de Jure Communi non omnis litigator succumbens, sed is tantum, qui temerè litigavit, in expensas condemnari jubeatur, etiam statutum in eo sensu exaudiendum videtur.

Quòd si opineris: statutum hanc interpretatione reddi frustratorium & inutile, dum nil aliud, quàm, quòd Jure Communi jam antea ordinatum erat, operatur.

Contra est: quia, ut loquitur Mevius p. 1. decis. 29. num. 5. quoties Juri Communi superadditur statutum, argumento est, quòd statuentes nolint ab isto aliqua ratione discedi, sed firmiter id, quòd providet, consistere.

Sed quid de illo statuto, cujus meminit Mevius ad Jus Lubecense tit. 10. art. 6. n. 80. dicendum, quòd provisum est, quòd bona hereditaria alienari sine proximorum futurorum heredum consensu nequeant, ane ita exponendum erit, ut etiam ad oppignorationem, quæ juxta Commune Jus in l. ult. Cod. de Reb. alienis non alienand. species alienationis censetur, extendatur?

Negat id Mevius d. l. & cum eo celeberris quidam Doctòr, ex ea consideratione: quia, quòd antea dictum, in statutorum interpretatione quàm minimè à Jure Communi recedendum, accipi debet juxta sensum, qui esset conveniens Juri Communi pro

tempore, ubi statutum necdum supponimus confectum, non verò pro tempore consequenti: at, si statutum, antea memoratum, supponimus necdum confectum, de Jure Communi hæres, tanquam plenissimus rerum hereditariarum Dominus, potest eadem quocunque titulo alienare, atque adeò etiam oppignorare: ergo, ut quàm minimè recedatur à Jure Communi, oportet statutum ita interpretari, quòd, cum oppignorationem in specie non interdixerit, ea, antehac à Jure Communi indulta, etiamnum permissa sit.

Non diffiteor, subtiliter hanc sententiam proponi, sed à me cum dictis in num. 4. componi non posse. Cum enim in statutorum interpretatione non tantum recessus à Jure Communi caveri, sed etiam in sensu Juris Communis ea fieri debeat; non capio, quomodo per prohibitam in genere alienationem rerum hereditariarum sine consensu proximorum heredum non comprehendatur oppignoratio, quæ in sensu Juris Communis est species alienationis, & prohibita simpliciter alienatione, simul prohibita censetur juxta expressam sanctionem in d. l. ult. Cod. de Reb. alien. non alienand. ibi: sancimus, si ve lex alienationem inhibueris, si ve testator hoc fecerit, si ve pactio contrahentium hoc admisseris, non solum domini alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam usufructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi. Jam verò alienatio, per statutum inhibita, est inhibita per Legem: ergo &c.

Quamvis igitur admittamus, statuta interpretanda secundum illum sensum, quem Jus Commune habuit eò tempore, quò statutum non exstitit: quia tamen Jus Commune non tantum plèno rerum domino dat facultatem alienandi, sed

fed etiam admittit, quòd hæc facultas possit inhiberi Lege, testamento, vel pactione, & casu quo fuerit simpliciter inhibita; oppignorationem quoque inhibitam esse disertè pronuntiat; non aliter salvari, aut recessus ab eo evitari poterit, nisi in sensu Juris Communis explicetur, & alienationis nomine op-

pignoratio contineatur.

Nempe in

statutorum interpretatione opus est, ut Jus Commune non solum expendamus in una Lege, sed etiam in altera; ne, dum ubi pède videmur accedere ad Juris observantiam, alterò quàm longissimè ab illo nos recessisse convincamur.



## SUPPLEMENTUM AD PROLÓQUIUM LIBRI I. DECRETALIU.

## SUMMARI.

1. Diversa fidei acceptio. 2. & 3. Eius definitio, prout accipitur pro credulitate. 4. Alia definitio, prout accipitur pro summa credendorum. 5. & seqq. Largior explicatio. 9. Subjiciuntur credenda de Mysterio SS. Trinitatis. 17. & seqq. Datur regula de externa fidei professione. 19. Præstantia sibi à neo-electis. 20. A provisio de

beneficiis curatis. 21. Aut Canonicatibus. 22. & seqq. Sub obligatione restitutionis fructuum. 25. A promotis ad regimina Monasteriorum. 26. A Rectoribus & Professoribus. 27. Ab Hæreticis reversis. 28. & seqq. Potest fieri per procuratorem, speciali mandato à suo principate instructum.

## QUÆSTIO I.

Quid sit Fides Catholica?

**F**ides, quæ teste Cicerone lib. 1. de Offic. est fundamentum justitiæ, veluti dictorum conventorumque constantia & veritas, accipi potest in præfenti dupliciter. I. pro fiducia seu credulitate dicti vel facti, ab alio manifestati; II. pro summa & compendio eorum, quæ nobis credenda incumbunt. In priori acceptione fides definitur ab Apostolo ad Hebræos 11. quòd sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: quam definitionem, licet aliqui dicant impropriam, seu descriptivam & notificativam fidei; quos inter collocandus Fagnanus ad cap. firmiter de Summa Trinitatis. num. 13. eam tamen ex professo defendit S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 1. ac, si in formam Aristotelicæ definitionis illam redigere placeat, ita efferri posse, dicit, quòd fides (quatenus sumitur habitualiter) sit habitus mentis, quò inchoatur vita æternæ in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus. Unde alia litera (verba sunt ejusdem Doctòris Angelici) habet convitiò: quia scilicet per auctoritatem Divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non vident. In posteriori acceptione definitur fides, quòd sit collectio articulorum, quos primà & Summa Veritas revelavit, nobisque per Ecclesiam credendos proposuit. Ita ad mentem D. Athanasii in suo Symbolo reipsa sentit P. Engel ad cit. tit. de Summa Trinit. num. 6. Potest siquidem, ut dilexerit S. Thomas cit. l. art. 2. objectum fidelit

dupliciter considerari, uno modo ex parte ipsius rei credita, & sic objectum fidei est aliquid incompletum, scilicet res ipsa, de qua fides habetur; aliò modo ex parte credentis; & secundum hoc objectum fidei est aliquod complexum per modum unum iabilis: est enim modus proprius humani intellectus, ne componendò & dividendò veritatem cognoscat; & ideo ea, quæ sunt secundum se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexiorem.

Quamobrem hic Doctòrum Angelus cit. l. art. 6. ulterius docet, credibilia per certos articulos distinguere: nam, ut dicit Idorus, articulus est perceptio Divinæ Veritatis, tendens in ipsam: sed perceptio Divinæ Veritatis competit nobis secundum distinctionem quandam: qua enim in DEO unum sunt, in nostro intellectu multiplicantur: ergo credibilia debent per articulos distinguere. Nomen articuli siquidem ex Græco videtur esse derivatum: arthron enim in Græco, quòd in Latino articulus dicitur, significat quandam coaptationem aliquarum partium distinctarum: & ideo particula corporis sibi invicem coaptata dicuntur membrorum articuli. Unde & credibilia fidei Christianæ dicuntur per articulos distinguere, in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem. Est autem objectum fidei aliquid non visum cità Divinæ: & ideo, ubi occurrat aliquid speciali ratione non visum, ubi est specialis articulus. Ubi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita, vel non cognita,